

Q. D. B. V.

D E

1707, 16

STERILITATE MULIERUM, PRO LOCO

In Gratiissima Facultate Medica
Lipsiensi,

suo tempore obtinendo

Publice disputabit.

MARTINUS NABOTH,
Phil. & Medic. D.

Respondente

JOHANN. ERNEST. KRUSCHIO,

Medic. Cultor.

Ad d. 16. Mart. Anno M DCC VII.

H. L. Q. C.

L I P S I A
recusa 1709.

e 1

HISTORICUS

MUSICOLOGIA
SOCIETATIS

LIBERALIS HALLENSIS


CONSTITUTA 1710

REGIA UNIVERSITATIS

COLLEGIATA TRIBUNA HOL

ANNO 1710





PRÆFATIO.

Naturae genitalia miraculum na-
ture ab industrio Johanne Svammerda-
mio sive appellata, nemo facile mirabitur,
qui vel cum laudato Anatomico ad mirans
in iis vasorum sanguiferorum conformatio-
nem, vel cum Thoma Bartholino ad mi-
ram orificii uterinidilatationem in partu, vel in genere ad mi-
ram ipsorum in fœtu concipiendo, gerendo & excludendo
utilitatem respexerit. Ex autopsia quippe Svammerda-
mius p. 6. scripsit, vasa spermatica mirabilis fabrica consta-
re, ut explore aviditatem intuentis negucant ob reticulatam
corundem figuram & miris modis concortas circumvolutio-
nes; notabilem itidem esse anastomosin arterie hypogastricae,
serpentino ductu per latera colli ascendentis cum arteria sper-
matica descendente. Bartholinus autem Anatom. Reform.
p. 280. per expertitiam annotavit, orificium uteri interi-
us admirabili modo aperiri, ubi pro factus magnitudine dilati-
tari debeat, ut aqualis fere cavitas sit a fundo uteri ad pu-
dendum, per quam factus excat. Quod quemadmodum
Galenus, nos mirari posse, intelligere non posse, dudum
acclamavit, ita non solum partus, sed & conceptionis atque
gestationis opus omne adeo existit admirandum, ut quem-
vis tum ad miraculum partium mulierium structuram atten-
te considerandam, tum ad divini Artificis, qui nos confor-

madit, sapientiam & potentiam summam, devote venerandam impellat. Si organorum vero feminineorum status naturalis tantam parit admirationem, neque status corundem preternaturalis omni tali penitus destituetur: verisimiliter siquidem Antonii Molinetti effatum videtur Dissertation, Anatom. Pathologic. p. 326. bisce expressum verbis: mirum quanta mala uterum oppugnent, quantevis viscus subjiciatur injuriis, non tantum ipsi, sed corpori universo existialibus. Ex omnibus tamen sterilitas ad uberiorum sui considerationem me nunc eo magis invitat, quo anxious: Sexus sequior de ea solet conqueri. De mulierum autem sterilitate dum differere similius cogitata nonnulla de ovario novo addere conor, avertat ante omnia D. T. O. M. ne labor meus evadat sterilis, sed eam in sibi potius divini Nominis gloriam proximique salutem cedere jubeat clementissime.

I.

Lingua græca variorum terminorum, qui Latinis ac imprimis Medicis in usu nunc sunt, adeo fecunda deprehenditur mater, ut ipsam sterilitatis quoque vocem ex *σερέψιν*, i. e. orbare, privare, carere, peperisse Beccmanno dicatur. Cujus originis intuitu nomen quidem sterilitatis omnem privationem & defectum in genere innueret, consuetudo tamen prævaluit, ut fructus desiderati sive specierum progignendarum in regno tum vegetabili, tum animali, defectum speciatim significaret. Quem enim latet, de terra, de agris sterilitatem in sensu latiori a Scriptoribus enunciari; in strictiori autem sensu a Medicis accipitur, dum circa hominem occupati, generationis hujus privationem sterilitatis nomine efferrunt ejusque rationem tam in viris, quam in foeminae indagant. Qualis sterilitas a græcis ἀτενία, ἀγονία, ἀγυμνασία proprie dicitur, atque voce germanica, Unfruchtbarkeit

barkeit saepe etiam intelligitur. Nos de mulierum magis, quam virorum sterilitate in praesenti solicii, eam nihil aliud esse afferimus, quam mulieris in matura aetate constituta atque viro sano utentis impotentiam ad problem concipiendum, a vitio partium vel solidarum sive genitalium, vel fluidarum, dependentem.

II.

Sterilitatis nempe hic perpendenda *subjectum* quod foeminæ non quævis, sed aetate matura fruentes atque cum viro fœcundo consuetudinem habentes censentur ab omnibus. Fœmella quippe in ætate adhuc infantili aut nimis juvenili constitutæ, uti referente *Lazaro Riverio Prax. Medic. libr. 15. cap. 15.* ratione viarum angustissimarum virum vel plâne non, vel saltē non nisi cum summo dolore admittere valent, ita sterilitatis non magis arguenda veniunt, quam mulieres jam effatae & quinquagesimum ætatis annum transgressæ. Certe quarum vigor corpus proprium sustentandi multum jam periit, eæ novo producendo atque nutriendo corpori æque inidoneæ existunt, ac quarum vires ad ampliora corporis incrementa etiam in postulantur. Quia conceptio vero a sola foemina nunquam obtineri potest, ideo nec virgines nec viduae, ceu quæ a viro abstinere tenentur, merentur sterilibus annumerari. *Subjectum* autem quo sterilitatis partes ipsæ mulierum habentur genitales, quarum mirandam conformatiōnem una cum usibus, præter alios Anatomicos, *Regnerus de Graaf* in peculiari Tractatu, atque uteri structuram *Antonius Nuck Adenograph. Curios. & Celeberrimus Ruyſch in Theſaur. Anat. egregie dederunt explicatam. Quod si* tamen partes tales a naturali & debita textura recedant, tantum abeat, ut solius subjecti fungantur vice, ut proximam etiam causam exhibeant evidenter, a qua sterilitas muliebris proficiscatur.

III.

Quemadmodum enim in generationis negotio mulierum est, tam virile membrum pudendo & vagina exterina excipere, quam semen a viro emissum recipere receptumque, usque dum ovulum aliquod foecundatum uerit, retinere; ita si muliebria præternaturaliter tali ratione se habeant, ut vel intimius cum viro commercium respuant, vel feminis etiam ejaculati receptionem retentionemve impediant, sine dubio in causa erunt, cur foeminarum foetum concipiendi spes omnis decolleret. Causarum, naturalem congressum remorantium, aliae in pudendo, aliae in vagina uterina, videntur subesse. In pudendo primum clitoridis sive virginis muliebris nimis occurrit excrescentia, quæ talem subinde molem & longitudinem acquirit, ut non solum oneris sit ipsi individuo, sed & coitum cum viro multum arceat. Excessivum ejusmodi ac inutile clitoridis incrementum, endemium Arabibus Aegyptiisque esse malum, *Veslingius syntagm. Anatom. cap. 7. p. 108.* affirmat, idem tamen in aliis quoque *Regner. de Graaf de Mulier. Organ. p. 175. Tulp. libr. 3. obs. 35. Rbodus Cent. 3. obs. 42. & Piazzonus de Partib. genital. p. 134.* annatarunt. *Panarollus Pentecost. 4. obs. 4.* meretricem commemorat, cuius clitoris productior pueri duodecim annorum mentulam emularetur. Quo magis enim clitoris excrescit, eo magis tempore oestri venerei turgescens, in-
far priapi, hortum muliebrem a virili, ut *Graafi laudati* verbis utar, tuetur. Hinc Nymphæ clitoridi adstantes, si non palmari aliquando sua longitudine & latitudine officium vaginæ exterius obtegendo, saltē post exulcerationem concrescendo, fœminis obstatre queunt, quo minus admittant viros. In alia meretricula *Panarollus Pentecost. 4. obs. 3.* alteram nympharum tantæ vidit magnitudinis, ut pisces Torpedinem repræsentaret, atque amantes solo aspectu in fugam verteret. A labiis denique pudendorum,

rum, sive ab ortu, sive post hunc ab exulceratione conglutinatis nullum viro aditum ad cavitatem vaginæ concedit,
Fabric. ab aquapendente Oper. Chirurgic. p. 279. observat.

IV.

In vagina vero uterina haeret culpa, ubi vel variis angustetur rationibus, vel penitus etiam deficiat. Angustia præternaturalis nunc ingressum ejus, qui ab Anatomicis alias orificio uteri externum appellatur, nunc reliquum canalem afficit. In virginibus vagina ostium ordinario membrana, hymenis titulo veniens, ita cingit, ut in recensnatis fere ultra medietatem orificii, in adultis autem virginibus ad tertiam aliquando quartam tantum partem dicti ostii pretendatur, illudque solum connivendo occludat. Qualis membrana si crassior totum introitum vaginae claudat, foemellas non solum Atretas reddit, sed & ineptas cum viro congreendi, prout imperforatarum ejusmodi mentionem Forest. libr. 28. obs. 55. Blasius obs. p. 39.

40. Anton. Benivenius de Abdit. rerum caus. cap. 28. injecere. Et ipse recordor in virginie hujus civitatis honestissima totam orificii vagina circumferentiam a simili membrana præternaturali occupatam fuisse, simulque, quia menstrua exitum non invenirent, abdominis cavitatem ita distentam, ut hydrope mentiretur, una cum insigni in vagina versus exteriora ipsamque membranam presentis sensu. Ad contactum membrana ista apparebat mollis & convexa cum aliqua renitentia instar ulceris jammaturi; eadem vero incisa notabilis quantitas humoris loturæ carnis similis, primo cum impetu, postea lente effluebat cunctaque symptomata sensibiliter remittebant.

V.

Ipsa vero vagina uterina per modum nunc compressionis, nunc constipationis, nunc coalescentiae advertitur arctari. Comprimentis vice modo luxurians pinguedo extrinseca, modo fibræ ipsæ vel rigidiore, vel cal-

lofa

losæ ac cartilagineæ factæ funguntur. A pinguedine qvippe externa nimia vias uteri ipsamq; uterinam vaginam angustari, Lazar. River. Prax. l. c. notat, causam, cur virginis seniores virum aliquando vix admittant in partes genitales defectu exercitii venerei rigidiores ac strictiores redditas haud absone rejiciens. Prout vaginae quoque latera cum ætate callosa evadere, ex Primeroſio de Morb. Mulier, p. 221. quandoque vero internam vaginae peripheriam duritiem cartilagineam atque capacitatem angustorem acquisivisse, ex Riolano Antropol. l. 2. cap. 32. disce-re licet. Imo ad compressionem vaginae uterinæ ipsa quoque procidentiasive prolapsus uteri videtur pertinere, cum Blasio obs. Med. part. 3. obs. 1. & 2. in veram atque imperfectam discernenda. Verus nempe est prolapsus, quando ipse uterus membranosis suis ligamentis laxatis deorsum ruens in vel extra vulvam propendet, internum que ejus osculum foras prominet, cum primis partus difficultis occasione contingens, dum placenta firmius adhaerescens ab imperita obstetricie nimium protrahitur, attestantibus Petro Marchettis obs. chirurg. 61. Parao chirurg. l. 23. cap. 40. & Stalpart van der Wielobs. Anatom. chirurg. 67. Imperfetus autem prolapsus reputatur, quoties relaxata & extra pudendum prominens conspicitur vagina, quam solam Job van Meckren obs. chirurg. 51. & Roombuysen obs. Part. 1. obs. 2. admittunt, ut plurimum a præternaturali humorum ad uterum affluxu originem trahentes, quo membranae vaginae emolliantur atque in insignem tumorem distendantur. Quibus terria procidentia uterinæ species a Celeberr. Frider. Ruyſch obs. Anatom. chirurg. 10. additur, quam uteri inversionem vocat, induc tam vel ab obitetricibus minus expertis, vela conatibus, post partum remanentibus, ibi uterus torus quantus est, invertitur, nec unquam nisi in aut mox post partum accidere potest. Conferatur de tali etiam Stalpart van der Wiel Cent. 1. obs. 57.

VI.

VI.

Tractum vero sive canalem vaginae porro consti-
pant scirri atque condylomata, observata & descripta
a Petro Foresto Libr. 28. obs. 45. & 53. scirrus ab humore
lento atque crasso progignitur, plerumque tamen inflam-
mationem insequitur, ubi haec neque discussa fuerit, ne-
que in abscessum mutata, aut saltem perverse curata, vel
in principio repellentia & adstringentia, vel in fine for-
tiora discutientia intempestive adhibendo. Qualis tumor
non modo congressum impedit, sed & foeminis, sive stent
aut ambulent, sive sedeant aut decumbant, multam mole-
stiam parit. Incidentes namque grave pondus incessumq;
difficilem experiuntur, sedentes autem vel decumbentes
percipiunt, quomodo sua gravitate intestinum rectum
premat. Condylomata vero sunt velut hyperlarcoses, in
collo uteri vel vagina post aliquam ulcerationem vel in-
flammationem enatae, ingressum viri eo magis impedien-
tes, quo majores magisque vaginam occludant. Specta-
re huc itidem fungi uteri videntur, vulvam simul obtu-
rantes, a Tulpio obs. Med. libr. 3. cap. 33. & 34. recensiti,
nec non uteri polypi carnosii, a Ruyshio obs. 6. exhibiti;
maxime vero hoc referendum illud sarcoma, quod ute-
ri ostio adnatum, totamque vaginam occupans & foras
propendens a Kerekringio Spicileg. Anatomi. obs. 53. descri-
bitur.

VII.

Angustatur demum vagina uterina, impeditque
quo minus foemina viro queat uti, si parietes ejus coalue-
rint, atque latera in unum veluti corpus coiverint. Qua-
lis vaginæ coalescentia rarius quidem ab ortu & connata
esse solet, tales tamen in virgine quadam annotare li-
cuit, quæ nubens marito, cum ab hoc iniri non posset,
Medici sistebatur judicio, ut aperiret, quid hoc in nego-
tio esset faciendum. Medicus separationem laterum

B

vagi-

vaginæ ope cultelli incisorii moliebatur ; ast quamprimum videret, coalescentiam altius procedere simulque vasa sanguifera majora apparere, ab operatione ulteriori desistebat. Sæpius coalitus ejusmodi vaginæ prævias lœsiones alias solet sequi: sic post exulcerationem, v. gr. a variolis mali moris sive confluentibus, ab ambustione aut lue venerea, coalescentiam vaginae Platerus *Prax.* 1. 2. cap. 17. & Anton. Benivensis de *Abdit. Rer. Caus.* cap. 31. observarunt. Sic vaginæ coalitum ex partu difficulti Bauhinus *Anatom. Lib. I. cap. 49.* memoravit, haud difficulter tunc contigens, quando vaginæ latera a foetu , sive ob magnam molem, sive ob præternaturalem situm difficultius egrediente, lacerata fuerint laceratorum autem cura neglecta. Aliquando latera vaginæ tantum interveniente membrana cohærent.

IIX.

Præterquam tamen quod multiplex vaginæ uteriæ angustia hastenus descripta virum arceat, multo minus hic a foemina admitti poterit, si omnem vaginam contingat deficeret. Vaginae siquidem uterinæ partem superiorem cum ipso uteri fundo integro quandoque ab ortu, errante sive potius impeditanatura , deesse, tradit Columbus de *Re Anatomi. libr. 15.* Aliquando post ortum vaginam erodi posse, ex Antonio Benivensi *Libr. de Abdit. Rer. Caus.* cap. 11. innotescit, utpote qui mulierem quādam refert, a pernitioso vulvæ ulcere non prius sanatam, quā vulva corrupta & in frustula comminuta prorsus defluxisset atq; decepsisset, per annos postmodum decem vitam adhuc sanam protrahentem. Imo a gangræna subinde ac sphacelo vaginam cum utero erosam fuisse, foeminas nihilominus supervixisse , Johann. Langius *Libr. 2. Epistol. 39.* & Pareus *Chirurg. Libr. 29. cap. 41.* testantur.

IX.

Ast etiamsi viæ genitalium muliebrium viro liberum

berum concedant aditum , mala tamen ute ri conforma-
tio latere poterit , quæ semen virile nec admittendo , nec
debite retinendo mulierem sterilem efficat . Interdum
namque ipsius uteri vel cervix , vel fundus præternatura-
liter tanta laborat angustia , ut vix quicquam spermatis
virilis ad cavitatem uteri penetrare , multo minus ibi
subsistere queat . A coitu autem virile semen in utero
revera superesse , Experientiss . Ruy schius dedit comproba-
tum , in *Thesaur. Anatom.* VI . p . 15 . mulieris a marito in
adulterio occisa uterum exhibens aliquando tumidiorem ,
totumque cum utraque tuba semine albo & bene cocto
refertum . Quemadmodum etiam laudatus *Ruy schius*
Thesaur. allegato p . 64 . orificii uterini angustiam nimi-
am , a strictiori fibrarum compage promte inducendam ,
sterilitatis annumerat causis ; ita si idem uteri ostium vel
prorsus fuerit clausum , quale *Fabricius ab Aquapenden-*
te Oper. Chirurg. p . 280 . & *Platerus Prax.* Tom . I . p . 577 . desi-
gnant , vel saltem ab excrescentia carne a *Bierlingio Misc.*
N.C. Dec. I. A. 2. obs. 208. notata , obturatum , vir pariter
omnem congressum cum foemina celebrabit sine fructu .

X.

Qualis iidem evadit irritus , si conveniens uteri
capacitas desideretur , dum uterus vela mole quadam ex-
terna comprimitur , vel a duritate scirrhosa aut saltem ma-
jori fibrarum rigiditate constipatur , vel denique a quodam
heterogeneo obstruitur . In crassioribus omentum ute-
ri osculum comprimens *Hippocrat. Libr. 5. Aph. 46.* jam
jam pro sterilitatis causa venditavit hisce verbis : quecum-
que præter naturam crassæ existentes non concipiunt in utero ,
bis omentum osculum uteri comprimit , & priusquam atte-
nuentur , non concipiunt . Posterior ramen ab omento in
totum uterum compressionis effectus editur , adeoque
sterilitas certius infertur , si omentum ipsum du-
rum & fere lapidosum fuerit , quale cum sterilitate in fo-

mina Panarollus Pentecost. 3. obf. 10. observavit. Uterus
scirrhosus, quem ceu sterilitatis causam Scholzus Mis. N.
C. Dec. I. A. 2. obf. 60, describit, tanta fuit duritie, ut cultro
acutissimo non nisi vi potuerit discindi. Nec multum dis-
similia uteri scirrhosi exempla sunt, quæ ab Hildano Cent.
I. obf. 16. atque Losio Libr. 4. obf. 1. enarrantur. Rigiditas
autem ac strictior fibrarum uteri compages aliquando na-
turalis habetur; saepius autem adventitia a sanguine acrio-
ri vel calore etiam prænaturali, saltem hectico, con-
tingens. Ex heterogeneis vero, quæ cavitatem uteri
obstruere valent, calculos, sanguinem grumosum, &
aquam sufficiat nominasse, Uterus grandinibus & cal-
culis refertus a Schenkio obf. 33, sistitur, prout in Comi-
tissa quadam sterilitatem feliciter cessasse Plater. obf. libr.
I. p. 259. recenset, postquam corpus membraneum, cras-
sum, latum & fibrosum rejecisset. In hydropticis autem
nonnullis mulieribus solum uterum insigni aquarum mo-
le turgere atque ab eadem incredibiliter expandi in Vesalio
de Human. Corpor. Fabric. Libr. 5. cap. 9. & Bonetto Anat.
Pract. p. 1139. legere datur.

XI.

Sed annon ab utero ad testes nunc mulieres atque
tubas Fallopianas accedere, harumque etiam partium
malum habitum spectare conveniat, quomodo sterilitatis
nonnunquam tragœdiam in foemina ludat? Certe si eorum
subscriberem sententia, qui mulierum testiculos
pro genuino ovario, tubasque Fallopianas pro seminis vi-
rilis ac ovi ductibus venditant, ejusmodi organorum va-
ria structuræ vitia inter proximas sterilitatis foeminae iti-
dem causas omnino referrem. Quoniam vero varia ob-
stant, cur in dictorum testium vesiculis, veluti ovulis ve-
ris, conceptionem haud fieri mihi persuadeam, e diverso aliud
ovarium genuinum in utero ipso vidisse visus mihi
fuerim, veniam merebor, si morbos tubarum & testiculo-
rum

rum, non vero ovarii novi, sterilitatis inter causas neglexero. Conceptionem namque fieri posse absque ullius in testiculis foemineis vesiculae subsidio, docent ex mulieres, quæ conceperunt atque pepererunt, vesiculis tamen omnibus in testibus caruerunt. Provoco primum ad pueroram a Dn. D. Iohann. Christiano Schambergio, Professore in hac Academia superioribus annis Celeberrimo A. 1703. Meni Decembri dissectam, cum mox a partu difficulti vitam cum morte commutasset. In hac, abdomine inciso, ingens statim in oculos incurrebat testium molles, ordinariam quadruplo exsuperans atque intra se non vesiculas & glandulas, sed multam pinguedinem cum pilis intermixtis comprehendens: pilorum alii erant longiores, longitudinem digiti adæquantes, alii breviores, in extremitate una radicem, in altera cuspidem, instar perfectorum pilorum, obtinentes, nulli tamen tunicæ, sed soli pinguedini, inhærentes: Provoco dein ad foeminas, quæ liberorum extiterunt matres, etiam si testes habuerint scirrhosos & omnibus vesiculis vacuos. Sic A. 1701, multis Medicinæ studiolis præsentibus foeminam 34. annorum dissecui, cujus uterque testis, magnitudine fere pugni, rotus cernebatur scirrhosus, nequicquam vesicula rum vel glandularum exhibens, sed instar cartilaginis fere fese habens. Sic in foemina honesta 36. ætatis annos a gente d. 29. Jul. A. 1704. incisa, uterque pariter testis pomis majoris magnitudine superficiem satis inæqualem, & ex viginti quatuor nucibus avellanis coagmentatum ostendebat, nec alia corpusecula substantiae perquam duræ ac ferme cartilagineæ internam eorum molem constituebant.

XII.

Tubas vero Fallopianas nec semini viriliad testes, nec ovulo etiam ab hisce ad uterum transferendo inservire, facile comprobabunt foeminae omnes, quarum post partum & obitum, cum ab aliis, tum a me apertarum, tubas

bas cum testibus strictissime coalusie aliquoties obserua-
vi. Comprobabunt idem non minus canes foemellæ,
quæ feliciter foetus conceperunt, conceptosque ediderunt,
postquam tubæ Fallopianæ juxta ornamenta folacea u-
trinque ante congressum ita constrictæ esent, ut lateras
ipsarum successive potuerint coalescere. De novo au-
tem ovario cogitando ansam præbuit Anatomia publica,
quam ex speciali Mandato Electorali *Exponentis*. *Iob.*
Fridericus Ortlob, Anatom. & Chirurg. Prof. Extraord. nunc
beatus *Ann. 1694. Mens. Ianuar.* administrabat. Etenim
cum viscerum præparatio mihi concrederetur, inter re-
liquas partes corporis, cervicem uteri teretem, crasum,
atque exterius contractu durum & turgidum, interius ve-
ro, cum eum inciderem, vesicularum sive ovulorum ple-
num, ita observare contigit, ut ovula ipsa multum pariter
turgerent, atque durius externam cervicis formarent,
humorem continentis qui coctione levi concreceret.
Quales vesiculas pro ovulis genuinis a me reputatas etiam
postmodum in qu amplurimi sexus sequioris cadaveri-
bus tum publice, tu m privatim, & hic, & Halæ Magdebur-
gicæ dissectis non solum annotavi, sed & D. D. Friderico
Hoffmanno, *Consiliario & Archibatro & Regio Prusico ac Prof.*
Publ. Medicinæ Primario in Academia Fridericiana Ce-
leb. D. D. Iohanni Wilhelmo Pauli, Anatom. & Chirurg. Prof.
Publ. in Academia Lipsiensi Celeberrimo, D. D. Iohanni
Christiano Schambergio, Lipsie quondam Anat. & Chirurg.
Prof. Publ. celeb. multisque Medicinæ Alumnis demon-
stravi. Ovarii squidem muliebris novi nomine nihil
aliud intelligo, quam vesicularum, ceu verorum ovulo-
rum, in cervice cunprimis uteri, conceptioni quam ma-
xime destinatorum congeriem.

XIII.

Ovarium dum dico novum, neutiquam nego,
vesiculas in utero ab aliis ante me fuisse annotatas;
men-

mentionem quippe earum Regnierus de Graaf de Mulier.
Organ. p. 237. A. 1672. & Des Noues apud Nicolaum de Blégny
Zodiaci Medico - Gallici Ann. 1681. p. 21. 77. 106. fecerunt. Quia
prior tamen easdem pro hydatibus i. e. præternaturali-
bus, non semper, sed sæpen numero saltē occurribus,
habuit, posterior autem ipsas magis in orificio interno
consideravit, tanquam organa, materiam spermaticam as-
servantia, in coitu a fœminis excernendā à némine autem
alio tales, quantum quidem scio, pro veris oviis adhuc
assertæ fuerunt, nullus, spero, vitio mihi vertet, quod
eiusmodi vesicularum, tanquam genuinorum oviolorum
congestum ovarii novi titulo eadem libertate nunc ve-
lim insignitum, qua muliebres testes Steno quondam,
Hornius, Kerckringius, Swamerdam, & de Graaf ovaria ap-
pellarunt. A quibus tamen præsens novum multum di-
stinet, quod in fœmellis semper sine discrimine temporis
reperiatur, quod sit solitarium seu unicum, quod veris
debet constet oviis, quæ sperma virile contingere, eo-
rumque unum vel alterum actuare sive foecundare possit,
absque eo, ut de via anxiè prius disputandum veniat, per
quam virile semen ad illud debeat pervenire.

X V.

Ovarium siquidem novum in commodo depre-
henditur loco, in ipsa videlicet, prout jam indigitatum,
cervicis uteri superficie interna, quam omnem fere, ad
infimam usque cavitatis fundi uterini partem, occupat,
egregie imprimis vesiculis in fœmellis viro maturis, tur-
gens. Aliquando tamen vesicula etiam nonnullæ lim-
bum sive circulum orificii interni, quo cum vaginam re-
spicit, excurrunt, interdum, licet rarius, in cavitate quo-
que fundi uterini una vel altera occurrit. Et licet ovari-
um tale sit simplex, subinde nihilominus in circumferen-
tia cervicis interna fere instar binarum abuscularum
cum ramulis expansarum atque fractibus conspicitur.

Cujus-

Cujuslibet vesiculae, figuram rotundam seu ovalem quodammodo præ se ferentis, pars tertia circiter extra internam cervicis uterinæ superficiem prominet, duæ vero partes substantiæ cervicis immerguntur, cum eadem veluti continuatae. Magnitudine non maius ac numero, vesiculae dictæ satis variant, dum earum aliae pisum majus, aliæ minus, nonnullæ semen cannabis, plures grana milii, magnitudine emulantur; in subjectis junioribus vesiculos plures & minores, in natu majoribus majores & gerumen promtius, in senioribus easdem pauciores videlicuit. Propter vesicularum autem protuberantiam æque ac propter fibrosam sive cellulosam cervicis figuram, non potest non ovarium integrum apparere inæquale.

XV.

Ast quo constet, ovulorum nomen vesiculis istis merito decerni, exactius paulo vesicularum ejusmodi conformatiōnem juvabit lustrare, ex placenta nempe, Tunīcīs, Humore, Embryone atque Vasis i. e. tot partibus, quod ad fœtū producendum, tegendum & nutriendum requiruntur, resultantem. Quantum namque ovari, i. e. duæ tertiaræ substantiæ cervicis est immersum, tantum placenta utrinæ explet vicem, utpote ex meris vasculis sanguiferis æque contextum, ac placenta alias structuram ex solis talibus vasculis conflatam *Cafferius* & *Clariss. Ruysschius* evolvunt. Ideoque circa uterum nullibi quoque majores & copiosiores rami valorum hypogastricorum & spermaticorum inseri videntur, quam circa cervicem, ubi ovariam interius locatur. Quæ autem ovari pars à connexione libera, i. e. tertia, prominet membranosa, in ovariis majoribus haud difficulter in duas laminas discripi valet, ita ut hæ crudimenta existant, chorii & Amnii, ceu duarum tunicarum fœtū involentium, quarum illa crassior, hæc subtilior habeatur; prout ovula inmaturius exclusa & à *Celeberrimo Ruysschio in Thesaur.*

Anat.

Anat. VI. delineata sicutu placente atque membranarum exactius convenit cum ovulis in cervice uteri haerentibus, quam cum vesiculis è mulierum testibus depromatis. Membranis vulneratis humor contentus, qui ante transparebat, ceu humoris amnii principium promte effluit plus minus glutinosus & pellucidus, instar albuminis ovi, levi coctione insipiens. Ratione glutinositatis ejusmodi humoris, pariter atque ratione vigoris naturalis, ovula minus alterantur, quamvis ovarium per aliquot dies libero exponatur aeri, sed diu admodum turgidula & limpida persistunt. Quas circumstantias verorum ovulorum proprias esse, *Regnerus de Graaf de Mulier.* *org. p. 301. & seq.* arbitratur. Humori tamen subtilis innatæ fibrillæ, quæ primordium existit funiculi umbilicalis, ex vena simplici, duabus arteriis, uracho, fibris nervis atque in volucro communi, *Hobokenio Anatom. secundin. Human. Drelincurtio de Umbilit. Fæt. Human. & Verheyen Anatom. Corp. Human.* observantibus, contexti; qualis in ovulo, per quatuordecim dies imprægnato, excluso instar fili duplicati tenuioris comparere aſſolet. Neque rationi nostræ denegatur concipere germen, i. e. corpusculum fœtus in mole minima, fibrillæ prædictæ affixum, eo magis, quod revera germe in ovulo majori ex hujus fundo sub specie corpusculi albi magnitudine seminis salicis vimineæ, per humorem crystallinum transparens, tanta simul soliditate gaudeat, ut, ovulo vehementissimo commoto, neutquam diffluat, etiam si singulas foecitus partes nullus oculus, optimis quoque vitris armatus, queat discernere.

XVI.

Veris itaque ovulis in ovario nostro ex intimiore vesicularum textura comprobatis, quemadmodum conceptio inchoari & perfici sine negotio potest, si unum al-

C

terumve

terumve ovulum maturum a semine masculino recta via per internum uteri ostium ad cervicem delato, actuetur, i. e. observantibus *Gulielmo Cole & Raymundo Vieussens* in *Prefatione systematis Vajorum Novorum*, motum proprium pro solidarum partium embryonis nutritione inchoanda & continuanda recipiat. Ita nullum est dubium, quin conceptio impediatur, si ovulorum vel partes ambientes, i. e. tunicae & placenta, vel contentae, h. e. humor, vasa & germen, a naturali habitudine recesserint. Recedunt autem membranæ atque placenta quam maxime a debita conformatione, si illæ transparentiam cum opacitate, utræque autem teneritatem atque flexibilitatem cum crassitatem ac rigiditate præternaturali commutaverint, adeoque inepta evalerint, per quarum poros seminis virilis portio spirituosis penetrare, vasa dilatare, ipsumque germen actuare valeat: Ambientibus quippe hisce partibus ita vitiis se habentibus, funiculus umbilicalis atque germen eodem simul vitio tanto magis laborabunt, quanto majorem cum placenta obtinet continuatatem. Ex contentis autem humor imprimis conceptionem frustrabitur, ubi totus inspissatus funiculum atque germen comprimendo omnem eorum expansionem ac nutritiōnem sufflaminaverit. Fatendum interim exempla hic deesse, e quibus constet, ovula solum præternaturaliter fuisse constituta, reliquum vero uterum valuisse optimè; quorum namque vitiorum vel uterus jamjam accusatus fuit, vel etiam fluida nunc postulabuntur, ea necessario quoque afficiunt ovula.

XVII.

Mulieres videlicet porro infœcundæ evadunt culpa nunc sanguinis, nunc lymphæ, nunc spirituum animalium. Sangvis uberior, Plethorae titulo veniens, conceptionem tunc solet turbare, quando in utero congestus, hunc

hunc intumefaciendo , tam cavitatem , quam orificium si-
mulque ovolorum poros ita coarctat , ne virile sperma in-
gredi , multo minus in aliquod ovulum agere queat . San-
gvis hinc acrior & fervidior , in quantum cum uteri ejus-
que ostii fibris , tum ovulis pariter , rigiditatem concili-
ando haud absimilem constipationem infert , sterilitatis
muliebris itidem emergit causa : quemadmodum cras-
sior sangvis reus percipitur , si vasa uterum , Molinetto Dis-
sertat . Anat . Pathol . p . 329 . annotante , in varices distendat
variosque producat cruciatus . Sangvis demum , qui sin-
gulis mensibus ordinario a mulieribus excerni solet , licet
foetus formandi nullam constituat materiam , secus ac ve-
terum nonnulli opinati fuerunt , sterilitatem tamen relin-
quere parite post se potest , sive luxuriet , sive deficiat , sive
acrior etiam prodeat . Menses namque retenti qua rati-
one successive corrumpantur , fæminasque ad cachexiam
& sterilitatem disponant , Primero f . l . a . p . 233 . & Platerus
obs . libr . I . p . 247 , loquuntur . A menstruis nimis æque , ac
ab omni enorati hæmorrhagia , ex uteri fundo profluente ,
sterilitas eo magis dependebit , quo major uteri flacciditas
atque ad semen retinendum impotentia solet insequi .
Qualem sterilitatem Riedlinus Lin . Medic . A . 4 . p . 549 . infœ-
mina memorat , quæ primo statim matrimonii anno gravi-
da facta fuerit , sed tribus ante partum diebus ingentem san-
gvinis quantitatem per uterus profuderit , hincq ; foetum
mortuum in lucem ediderit . Sangvis denique menstru-
us acrior , non minus ac malignitate ab ulceribus pravis &
cancro sis luis venerea , v . gr . elephantiasis &c . inquinatus ,
internam uteri superficiem atque ovula erodendo fæmi-
nas aptitudine concipiendi privat .

XIX.

Lympham vero subinde in sterilitate culpandam es-
se , sive abundantia tantum , sive qualitate simul peccet ,

C 2

Hippo-

Hippocrates' dudum agnoscere videtur, dum *Sect. 5. A. 61.*
omnes, qua præsumidunt uterum habent, concipere negat.
In toto liquidem corpore sero præpollente, prout in ca-
chexia scorbutica serosa fieri solet, quoniam plus etiam
lymphæ ab uteri & vaginæ uterinæ glandulis secernitur &
coacervatur, non modo uteri ostium hiat, viæ magis
lubricantur, semenque virile minus retinetur, sed & hujus
efficacia plane obtunditur, parumque delectationis in
congressu percipitur, quale exemplum *Tineus ad Gulden-
klee l. 4. Cas. 19.* recenset. Spectat huc speciatim fluor al-
bus, qui, *Foresto libr. 28. obs. 57. Primeros. l. a. & Platero obs.
libr. 11. p. 249.* observantibus, fœminas tunc imprimis ste-
rilesefficit, quando non ex solis glandulis vaginaliæ, verum
uteri quoque promanaverit, atque cachexia totius vel ef-
fectus, vel causa extiterit. Neque ulcera hic uteri cum
alia, tum venerea, silere oportet, saniem acriorem ac fo-
cidam continuo stillantia spemque sobolis intercipientia.
Spiritus denique animales conceptionis abolitæ sunt au-
tores, si aut deficiant, aut convenienti cum spiritibus a-
nimabibus viri harmonia destituantur. Defectu nempe
spirituum fœmina laborant ac inhabiles ad concipiendum
ratione toni genitalium sic laesi evadunt, modo propter pa-
themata animi, v. gr. curas, sollicitudines, mœrorem,
terorem, &c, modo propter morbos diurniores, e. gr.
cachexiam, hydropem, scorbutum, luem venereum, ul-
cera inverterata, &c. In generationis autem negotio sic-
uti *B. Ettmüllerus Oper. Tom. 2. p. 1079.* certam proporcio-
nem & harmoniam inter marem & fœminam, sive spiri-
tus utrinque animales, merito requirit, ita sitalis in mu-
lieris deficiat spiritibus, hæc frustra fecundationis ab illo
sperabit effectum. In quo tamen harmonia talis defe-
ctus consistat, non magis intelligere datur, quam harmo-
nia ejusmodi ipsa satis explicari nequit, licet præsentia e-
jus

ius tunc præsumi posit , si foemina, quod partes pariter genitales atque omnes fluidas optime valens, conjugium primum cum viro sano sine prole, secundum autem cum alio viro bene se hebente prolificum sive cum multiplici prole experatur.

XIX.

Atque tot vitiis , tam partium genitalium , quam fluidarum evolutis, tanquam causis proximis , haud difficulter ratio poterit ostendi, qua res dictæ non naturales, ceu causæ remotæ in sterilitate progignenda conspirent, sive in mulierum fluidas , sive solidas una partes operentur. Aer scilicet frigidior, humores condensando ac poros constringendo, calidior fluida expellendo & solida exsiccando, humidiorque serum augendo & consistentiam emolliendo, corpori non minus tori , ac genitalibus mulierum nocet. Gulosas & ebriosas rarius concipere, quod pravis humoribus vim seminis suffocantibus , repleantur , exemplo mulieris sterilis ab ebrietate crebriore, *Riedlinus Lin. Medic. A. 4. p. 601.* docet. A poru Caffèe venerem extingui scribit *Olearius Itiner. Persic. l. 5. cap. 15.* quia nimium haustus humores incrasset. A motu vehementiori post congressum, atque clamoribus, sterilitatione, tusi, potissimum saltatione, *Hippocrates* jam jam sterilitatem expectavit, in quantum genituram ex utero eliminet. Vita e diverso sedentaria humores corporis corrumpendo stagnationi præbet ansam. Somnus nimius transpirationem reddendo copiosorem inspissat corpusq; exsiccat; vigiliae autem diuturniores spiritus consumendo omnes partes enervant vid. *Montagnan Consil. 205. & sq.* Nec nimia venus alia ratione ad sterilitatem mulieres disponit. Ex affectibus demum animi, mœrorem, terrorem esse cumpromis, quæ sterilitatem causentur, in paragr. præcedenti dictum, quibus iracundiam

quoque & odium licebit annumerare, dum invitatos con-
gressus esse irritos. Aetius recte refert.

XX.

Conjugii infecundi an mulier causa debeat censem
ri, veteres quidem variis scrutabantur modis, quos ta-
men hinc inde prostantes, veluti nulli rationi innixos, ne-
gligere magis, quam huc transcribere, præstabit. Ex mu-
lieris potius, parentum, vel mariti hauriatur relatione,
num recte valeat, an secus? num obstaculum aliquod, &
quale, in viis viro ineundi potentiam adimatur? num men-
ses rite fluant, an albus potius stillet fluor? num ex signis
vitium aliquod humorum vel totius cachexia, an ex præ-
cedentibus & lasitudine spirituum defectus notum fiat?
num ex tumore duro, tactui renitente, cum mensium
subsistentia, & doloris absentia, suspicio scirrhī oriatur,
an orificii interni quedam occurrat excrescentia? Qua-
rum causarum notitia quavis obtineri posse, extraordi-
naria tamen orificii interni angustia, uteri defectus, o-
mentum nimis prolongatum, hydrops uteri, non magis
innocent, quam solitaria ovulorum conformatio viti-
osa. Utroque autem conjugē pancreaticē vivente, ste-
rilitatis causam in debitā harmoniā defectum rejicere
deum convenienter.

XXI.

Ad prognosin jam quod attinet, sterilitas non tam
malum reputari meretur periculosum, quam tædiosum:
medicam nunc promptius, nam difficilius, sepe plane non
admittens. Spes siquidem sobolis concipiendæ incipit
affulgere, si meatuum obstacula, v. g. clitoris elongata,
vix nuptiæ protractæ aut concretæ, labia conjuncta, hy-
men præternaturalis, uterus prolapsus dextre possit tolli.
Nec sanguinis ac seri vitium recens curationem magis
renuit, quam aliqualis spirituum defectus. Multo diffi-
cilius

cilius autem therapia procedit, si excrecentia furgosæ aliæ orificium internum occupent, aut cachexia universalis subsit. Omnia minime vero sterilitas cedit, quando profundior vaginae coalescentia, callositas, orificii interni occlusio, substantia uteri scirrhosa & cartilaginea inverterata etc. in causarum ejus centum veniunt. Et quis putet, sterilitatem ab ulceribus inductam felicius curari posse, quam quæ a strictiori uteri compage, vel requisita inter spiritus harmoniaæ defectu dependet. Ceterum mulier sterilis ut plurimum robustior est, ac juventutem suam conservat, aliquando tamen etiam libidinefior variis morborum xponitur ærumnis.

XXII.

Cura sterilitatis sicut indicationibus rite debet inniti, ita pro diversitate causarum, quæ tanquam indicantia sui postulant remotionem aut correctionem, multum omnino variat. Virgæ siquidem muliebris excrecentia nimia molestiam creante, ipsa chirurgiaæ operescindenda venit, ab Aquapendente p. 227. cum sequentibus circumstantiis edoctor: primum scilicet excrecentia forcipe angustiore aliquamdiu stringatur, quo ejus sensus ante operationem habetur, hinc pars volsella arrepta excindatur, diligentia adhibita, ne tam alte ipsam penetreremus, ut fluidas affectus, quem rhyada vocant, extinetur. Orientales mulieres, advertente Bellonio illam exurere, Ægyptii tamen nupturis virginibus excindere consueverunt. Alii remotionem ejus ad miniculæ ligaturæ, filo fericeo instituendæ, suadent; quoniam nihil minus radix ipsius ut plurimum robustior & crassior observatur apice, ac inflammatio ejusmodi partium nervarum metuenda, minus commode in usum vocatur.

XXIII.

Nymphæ elongatae aut coalitæ, ut & labia pudendorum,

dorum, si sint conglutinata, respinetur foemina cruribus retractis & coxis dilatatis, atque nunc nymphæ monstriosores resecentur, nunc nympharum cohærentium aut labiorum conglutinatorum limites atramento notentur, parti autem pudendorum superiori culter falcatus ita immittatur, ut deorsum spectet, & per inferiorem illorum partem ejus prodeat apex sique interstitium præternaturale dissecetur. Membrana vaginæ orificium occludens, pariter cultro falcato vel recto superne deorsum demisso ac retracto per longitudinem incidatur, labia vero disiecta ita tractentur, ne denuo coalescant, præeunte Fabric. ab Aquapendente Oper. Chirurg. p. 279. Vaginæ coalescentia, si tantum interveniente membrana contingat, facile ope cultelli eadem ratione tollitur, modo post operationem nova coalescentia pessò ex cera concocto inhibeatur. Quod si vero interstitium carneum adsit, ab ejus sectione partium propter hæmorrhagiam enormiorem, partim ob inflammationem subseceturam, præstabit abstinere.

XXIV.

Cura scirri, sive uteri vaginam, sive fundum afficiat, à Foresto peragitur, postquam, venæsectio & evacuatio per alvum præmissa fuerit, per infestus ex sem. foen. græc. lin. herb. puleg. artemis. fol. cucumer. agrest. atque pessos varios emollientes. Hinc decocto ex radic. lil. alb. bismalv. cucum. agrest. artemis. nepet. sicub. sem. lin. foen. græc. flor. chamomill. violar. melilot. cum oleo amygdalar. dulc. foveat regionem uteri; post fotum unguentum applicat, ex butyr. recent. axung. porcin. pinguedin. gallin. anatin. anserin. ol. amygdal. dulc. & lilio. albor. mucilagin. sem. fæn. græc. cum vino extrect. terebinth. cera &c. atque alternis denuo vicibus fomento ac unguento utitur, sique duritiem magnam, quæ totum ferè uterum occupaverit, sublatam fuisse, affirmat libr. 28.

obs. 45.

obf. 45. in schol. Durius vero cartilaginea atque callosa
vaginae itidem uteri ac fundi omnem respuit medelam,
quemadmodum etiam orificium uteri internum, si aut
agglutinatum, aut membrana firmiore cooperatum inven-
niatur, pro incurabili ab Aquapendente p. 280, habetur.
Quorum etiam excrescentiae orificii uterini aliae, fungosae
& polyposae pertinent.

XXV.

Ubi uteri fundus vel vagina situm mutaverit, aut
ipse etiam uterus inversus fuerit, partes has prolapsas, tum
in locum convenienter reponendas, tum repositas deti-
nendas praeципiunt omnes: Ioh. Munniks tamen Chirurg.
libr. 1, p. 187. repositionem fundi uterini edocens, me-
rito suadet ante quamcunque repositionem consideran-
dum esse, an inflammatio adjungatur, aliasve tumor,
quibus apparentibus partem prolapsam fovendam prius
esse decocto florum chamomill. melitot. herb. cala-
menth. puleg. rosmarin. sem. dauc. levistic. Hinc
tumore imminuto, evacuatoque intestino per clysterem
a lotio excreto agra in lecto supina collocetur, & coxis
elevatis, poplitibusque reflexis, ac capite quantum fieri
potest demissis, ipsa basin tumoris manibus apprehendat
eamque introrsum adigar. Quod si ipsa perficere ne-
queat, chirurgus aut Obstetrix digitum in ejus orificium
immittat, ac sensim uterum attollat: vel accipiat candelam
ceream, sua crassitie vaginae muliebri respondentem,
& ea citra violentiam omne id protrudat, quod procidit,
donec tota moles suum in locum fuerit reducta. Utero
reposito, ut ibidem contineatur, mulier in lecto recline-
tur cruribus extensis, ita ut unum alteri incumbat, & isto
in situ per aliquot dies maneat, interim adstringentem

D

&

& roboran tem fotum uteri regioni cum spongia talem adhibendo, qui v. gr. ex radic. consolid. major. rub. tinctor. herb. matricar. salv. puleg. folior. querc. flor. rosar. rubr. balaust. gland. alumin. semen. cumin. &c. vino rubro incoctis sit paratus. Sinj vero nulla perfectæ curationis spes sit, quo nihilominus a procidentia hac, facile repe- tente, secura vivat foemina, pessulos sive globulos cereos in uterum intrudere ibidemque relinquere tenetur, de quibus vid. Pareus libr. 29. cap. 41. & Hildanus Centur. 4. obs. 6. aut circulos ex subere factos ceraque obductos juxta Scultetum Armamentar. chirurg. Tab. 17. Quibus tamen cunctis subligaculum sive Zonam Munniks præfert, quod tali munitæ mulieres sine periculo procidentiam ambulare & munera sua obire possint.

XXVI.

Procidentia vero vaginæ uterinæ si ortum traxerit a cachexia totius, præter sui repositionem ac retentio nem, speciatim quoque interne per decocta lignorum & alterantia, externe per fotus resolventes, corroborantes ac denique leviter adstringentes, curari postulat. Quibus vero quando procidentia non cedat, chirurgia in subsidium vocanda, parsque propendens vel sectione, vel strictiore ligatura removenda venit, iis circumstantiis observatis, cum quibus Job van Meckren obs. 15. & Pareus Libr. 23. cap. 41. totam operationem describunt; Pareo adhæc attestante, ipsius uteri gangrænosi extirpationem cum salute ægræ fuisse administratam. Inversionem uteri illico restitutam, cruribusque ut artis est, positis, brevi curaram, tradit Freder. Ruyssch. obs. Anat. chirurg. 10. allegata, docens una, nisi affectus hic illico profigetur, mortem statim subsequi. Tantum enim sanguinis ut pluri-

plurimum esse affluxum, ad uterum propendentem, ut statim inflammetur, induretur, & propter impeditam sanguinis circulationem gangrenam concipiatur. Tuttissimam curandi uteri inve si rationem Molinett, *Dissert. Anat. Patholog.* p. 329. reputat amputationem, plures a se, præsertim in verulis adhibitam; ligata quippe uteri cervice, mox infra nodum uterum esse abscedendum, & filum extans relinquendum, donec sponte sua decesserit.

XXVII.

Quæ strictior fibrarum uteri atque totius corporis compages congenita est & quasi naturalis, vix emendari valet; quæ vero post ortum contracta fuit, corrigi haud dubie valet mediis tam externis, quam internis. Externe ad fibras emolliendas laxiores reddendas cum fructu balnea aquæ dulcis adhibeantur, usu sæpius repetito, copusque simul in moderato calore conservetur, ne transpiratio impediatur. Evitetur autem caloris non minus ac frigoris excessus, in quantum ille fibras rigidiores reddit, hoc vero poros cutaneos constringit, atque humiditatem transpirationi proximam ad interiora iterum repellit. Ast interne loco potus spirituosis eligatur magis, qui particulis aquosis abundet; negligantur autem vina omnis generis atque spiritus vini cum acido quovis, quod cuncta talia fibras non modo indurando, sed & humores inspisando magis, noceant. Neque alimenta, succum glutinosum & viscosum conrinencia, assumantur. Si a calore hectico siccitas atque strictior fibrarum textura originem ducat, vietus humectans commendatur atque roborans, v.gr. carnes boni succi, juscula consummata, amygdalata, ova tremula, olera, lac & serum lactis. Sic lac pro specifico in sterilitate, a

caeliditate & siccitate suborta , *Lindenius* extollit. Inser-
viant itidem , nunc injectiones in uterum ex pingui ju-
sculo & lacte cum oleo amygdalarum dulcium vel lilio-
rum alborum ; nunc inunctiones orificii interni uteri cum
linimentis ex unguento dialthææ , adipe gallinæ , medul-
la cruris vituli &c. atque oleis prædictis parato ; nunc
pessaria ex radic.alth. contul. storac. liquid. succo por-
ri, adipe gallinæ &c. cum lana vel bombace exceptis,
teste *Primerosio l.a.p.241.*

XXIX.

Plethora venæsectionem indicat , qnam quoque
Hippocrates de. Superfusat. bis in anno celebrandam sua-
det, præterquam quod viatu tenuiori atque multa cor-
poris exercitatione sanguinis copia pederentim immi-
nuatur. Sanguini acriori ac fervidiori remedia aquosa
& temperantia prospiciunt : temperantibus in antece-
denti jam paragr. contra fibrarum rigiditatem a colore
hectico laudatis , emulsiones seminum 4. frigidor. majo-
rum & amygdalarum dulcium , ebur sine igne , cornu
cervi ustum atque philosophice calcinatum , crystallus
montan. terræ pingues-, martilia &c. addi merentur.
Crassior autem sanguis non minus ac coagulatus resol-
ventia & alterantia postulat , quæ inter volatilia eminent ,
v.gr. Essent. costor. cum spirit. salis armoniac. Essent.
caryophyll. aromatic. Nec balnea , pessaria , suffumigia .
linimenta cum purgantibus , negligenda , si sanguis con-
grumatus in uteri cavitate hæreat , prout in comitisfa
superius citata *Platerus* talia feliciter usurpavit , ut san-
guis coagulatus sub schemate corporis crassi , lati , &
fibrosi ex utero exterminaretur.

XXIX.

XXIX.


Lymphæ abundantia repetito purgantium , di-
ureticorum , ac sudoriferorum usa imminuit ; in ute-
ri tamen osculo simul nimis patulo adstringentia cum
aromaticis sociata , sub forma balneorum , fomentorum ,
suffituum &c. ad ductum *Sennerti Prax. L. 4. P. 2. S. 4.2.*
& *Sylv. Prax. Medic. p. 525.* præscribenda . In fluore spe-
ciatim albo non solum serositatem atque turgescentiam
humoris parastatarum atque totius corporis subtrahere
convenit & corrigere per evacuantia & lignorum essen-
tias atque decocta , sudorem etiam moventia , sed & to-
num glandularum & fibrarum uteri restituere per fatus ,
injectiones & pessaria ex leviter adstringentibus ac ro-
borantibus , v. gr. fol. myrt. rosar. rubar. plantag. sym-
phyt. gall. sumach. malicor. bacc. juniper. &c. a *Prime-*
roso l. 4. laudatis. Et certe si in ulla sterilitatis specie ad
thermas naturales , tanquam ad asylum , configiendum
est , fieri omnino debet , in ea , in qua serum uberioris par-
tium genitalium tonum laxavit . Unde *Timanus* in fœmi-
na sterili paragr. 18. memorata , aliis nihil proficienibus ,
a solis Thermis Carolinis exoptatum vidit effectum .
Thermis autem naturalibus , quia etiam artificiales cum
fructu substitui possint , quas *Cardilucius in Hartmannum*
ex herb. matricar. artemis. beton. salv. majoran. melis.
hyperic. sale commun. sulphur. & alumin. conficere
docet , nullum est dubium .

XXX.

Tandem spiritus animales deficientes , quos fœ-
mina ex morbis chronicis diversis experiuntur , sublatis
affectibus , facile denuo per confortantia , alimenta & po-
tulenta


D 3

tulenta laudabilia restaurantur, modo pathemata animi
una vitentur. Quomodo curatio tamen ejusmodi mor-
borum v. gr. cachexia^e, hydropis, scorbuti, luis venere^e,
gonorrhæ^e virulenta^e, Mensium vitiatorum, obesitatis
nimix &c. a quibus nunc spirituum prius animalium de-
fectus, nunc statim sterilitas resulset, recte debeat insti-
tui, ex celebrium Practicorum sine negotio peti poterit
libris, cum nimis prolixum foret cuncta hic tradere, quæ
ad eandem requiruntur. Neque Lector a me expecta-
bit, ut multa contra infœcunditatem mulierum specifica
subiectam, atque cum Amato Lusitano Cent. 5. Curat. Me-
dicinal. Curat. 53. in fibolio Aloen, & jejuno stomacho, &
somni tempore devorandam, cum Matthiolo Commentar.
in Dioscorid. semen ammi ex Alexandria allatum, cum
Boreello Cent. 1. obs. 30. Clandestinam sive Madronnam,
cum Hartmanno Prax. chymiatr. sal satyronis &c. fuse
commendem. Talia siquidem hinc inde laudata, vel
universalia non sunt, & eatenus tantum laudem meren-
tur, quatenus peculiari indicato latisfaciunt, vel super-
stitione plane habentur aut faltem ridicula, quale impre-
mis Rhumelii cernitur, quando Medicin. spagy. tripartit.
in Medicin. Mulier, cap. 8. ad sterilitatem, aliis irritis An-
guillam sacculo inclusam & utero impositam atque gesta-
tam tanquam singulare atque certissimum remedium
extollit. Ad finem potius properans Deo triuni pro
gratia benigne concesfa, laudem, honorem at-
que gloriam gratus decerno in sem-
piterna.



Leipzig, Diss., 1707





Q. D. B. V. 1707, 16
DE

STERILITATE MULIERUM, PRO LOCO

In Gratiissima Facultate Medica
Lipsiensi,

suo tempore obtinendo

Publice disputabit.

MARTINUS NABOTH,
Phil. & Medic. D.

Respondente

JOHANN. ERNEST. KRUSCHIO,

Medic. Cultor.

Ad d. 16. Mart. Anno M DCC VII.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ

recolta 1709.

